

www.e-rara.ch

Enchiridion militis christiani, saluberrimis praeceptis refertum

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1551

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4943>

Des. Erasmus Roterodamus Adolpho principi Veriensi s. p. d.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DES ► ERASMVVS

ROTTERODAMVS ADOLPHO

principi Veriensi S. P. D.



RESSIVS intuenti mihi, nō usquequaq; assentādi palpanāq; uitio receptum uideri solet, Adolphe suauiissime, ut antiquitus reges & imperatores panegyricis solenniter (& quidē in os) laudarentur: quin potius sic existimo uiros cordatos, rerumq; naturæ atq; humani ingenij egregie prudentes, cum spes non esset, leoninam illam regij pectoris generositatem, & aurium delicias, uel monentis auctoritatem, uel increpantis seueritatem aliquando passuras, publicæ utilitatis respectu uel uertisse, ac uia quidem occultiore, eodem tamen contentasse. Itaq; sub laudationis spe simulachrum quoddā absoluti principis eis uelut in tabula depictū representasse, ut ipsi sese ad propositum exemplar exigentes, taciti secum agnoscerent, quantum ab laudati principis imagine abessent, ac citra tum pudorem tum offensam discerent, quid uitij mutandū, quas uirtutes præstare oporteret. Eodemq; titulo non idem ageretur, uidelicet, ut boni principes quæ facerent recognoscerent, mali quæ facere deberent, admonerentur. Nihil igitur erat aliud ista laudatio, quàm delicatum monendi, blandumq; exprobandi genus, ac plane pharmacum, necessariū quidem illud, sed amarum, eoq; melle prælitum. Id quod olim regū barorum uiolentiæ dabatur, nō tam turpiter (ut ego opi

nor

DE VIRTUTE AMPECT.

nor) quàm prudenter. Pueritiæ uero studia, moderatis laudibus alere, ac ueluti crustulis datis, blandius inuitare, adeo uitio datum nõ est, ut à magnis quoq; autoribus præcipiatur. Sed ista quorsum, inquis? Nimirum huiusmodi præfatiuncula uisum est adulationis notam deprecari atq; præcludere, cum statuisssem hac epistola paulo ineptius tecum agere, & cum puero te paulisper ueluti repuerascere. Quanquam ego te generose Adolphe, ne laudaturus quidem sum, quin magis te ipsum tibi tanquàm in speculo commonstraturus, ut temet noris, non autẽ ut etiam ames simulq; pereas, quemadmodum de Narcisso fabulantur poetæ, sed ut etiam atq; etiã intelligas, quam magnum nomẽ sis deo tuæ felicitatis auctori, quibusq; rebus sis natus, & quo tibi sit eluctandum, ne cum totũ cœlum tibi arriserit, tute tibi parum prosper fuisse uideare. Hoc profecto sibi uolebat (ni fallor) speculũ illud Socraticum, ad quod uir sapientissimus mittere solebat adolescentulos: ut qui se perspexissent corporis & ingenij dotibus, fortunæq; commodis ampliter cumulos, uel hoc ipso ad uirtutis studium sollicitarentur, cum intelligerẽt ad tantam naturæ sortem haud mediocrẽ industriæ usuram tum deberi, tum expectari. ij uero quibus hæc malignius contigissent, hoc impensius ad conandum extimularentur, quo quod natura uideretur diminutum, industria exæquarẽt. Quanquam autem tanta in re cessatio nullam omnino recipiat deprecationẽ, tamen non paulo minus reprehendendi uidentur, quorum industriæ fortuna quodãmodo defuit, quàm qui fortunæ defunt ipsi. Tibi uero mi Adolphe, quæcunq; ad perfectã uirtutẽ adminicula

ERASMI ORATIO DE

nicula coelitus dari possunt, adeo sunt affatim suppedita-
ta, ut nisi omnia summa praeiteris, neque sorti à deo
credite, neque tuorum expectationi responsurus uidearis.
Primum enim quid ego referam fortunae miram in te ra-
ramque indulgentiam? quae te uix dum natum, ueluti ma-
nibus suis, in summo rerum fastigio collocauit. Quae te
ad summas res non euexit, sed genuit, immo quae prin-
cipem florentissimum, & antequam in lucem ederet, se-
cit. Quippe quae tibi genus largita est clarissimis utrin-
que imaginibus illustre: paternum quidem à Philippo
Burgundionum duce, heroe cum quouis etiam ueterum
componendo: maternum uero à Borbonica stirpe, id est
Gallorum regibus ductum. Vt omittam interim rem am-
plam, ac ditionem luculentam: ut sileam affinitates u-
triusque sororulae sponsalibus cum summis proceribus
adiunctas, ut ne tibi de matre tam pia gratuler, quae sol-
licitudine quadam incredibili te ueluti denuo parturit,
nihilque putat in uitam eduxisse, nisi & ad uirtutem per-
fectam prouexerit: ut ne id quidem recenseam, quod iam
nunc te puellum cum plerique primates aulici, tum cla-
rissimus ipse princeps Philippus certatim fatali quo-
dam fauore studioque prosequuntur, nihil non ausi sibi de
tua indole polliceri. Illud enim propius ad te pertinet,
de quo non puduit & sapientissimum illum regem glo-
riari, quod, ut ille ait, animam sortitus es bonam, quodque
uerus ille Prometheus mentem tibi indidit felicissimam,
istis opibus, isto rerum apice, istis imaginibus dignam,
dignam isto corpusculo, quod & ipsum architectrix na-
tura, ueluti uirtutum arculam quandam, omnibus Ve-

VIRTUTE AMPECT.

neris & Gratiarum muneribus copiosissime perpoliuit, ne scilicet non haberet pulcherrimum domicilium, animus pulcherrimus. Neque uero parui refert, principem uti uirtute, ita & corporis specie uulgus antecellere, cum uideam Vergilianum illud, uel reclamante Seneca, præclaris uiris non temere placuisse: Grator est pulchro ueniens in corpore uirtus. Quamquam ille ipse tetricus philosophus, ac Stoicorum penè dixerim Stoicissimus, miraculi loco refert, Claranum quendam suum cum corpore deformi esset, ingenio tamen atque uirtute præcelluisse, & unius exemplo ratiocinatur egregiam mentem sub quauis etiam cute latere posse, id quod ne Maro quidem negat, uerum ait, animi decus cum corporis specie coniunctum, commendatius & gratius esse mortalium oculis. Quis autem usque adeo communi sensu caret, ut hoc inficiandū putet? Quo magis miror cur homo grauis tam confessam poetæ sententiam scripserit errorē sibi uideri. Sed omisso Seneca ad rem redeamus. Poetæ mirabiles rerum omnium adumbratores diuinis mentibus, quas utiq; felicissimas uideri uolunt, corpora tribuunt pulcherrima. Cuius sententiæ ne Platonem quidem ipsum pœnituit, cum sapiētiae mysteria poeticis (ut solet) inuolucris obuestiens, dijs, id est beatis mentibus, et ab omni terrena labis cōtagio porro semotis, & currus decoros, & equos ambrosia nectareq; nitidos attribuit. Homerus autē omniū disciplinarū tanquā oceanus quidā, Achillem, Vlyssē, Menelaū, et si quos præterea uirtute præstātes heroas facit, decentissima quoq; corporis specie fingere cōsuevit θεοδότης ἢ θεῶν ἰκελός, id est diuina

ERASMI ORATIO DE

diuina specie, & deo similes eos identidem appellans. Thersites uero ut mentem ignauam ac degenerē, ita corpus ad portentum usq; deforme affinxit.

φορὸς ἐκρ, χολὸς δ' ἐπερὸν πόδα, τὸ δὲ οἱ ὤμοι
 λυγρὸν ἂν τῇ θ' & συνοχνοῖτε, αὐτὰρ ὅτ' ἐπερὸς
 πόξ & ἔλω λυφάλλω, ψιδυὴ δ' ἐπενέωθε λάχνη.

Quod Maro noster, ut Homeri pleraq; alia, ita hoc quoque diligēter est æmulatus in Aenea, Iulo, Euryalo, multisq; alijs. Quin & Socrates philosophorū non sapientissimus modo, uerum etiam incorruptissimus, in Phædro Platonis subobscurè quidem, sed nimis quàm eleganter innuit, bonam corporis figuram, bonæ mentis aut argumentū esse, aut certe adiumentū: illud pulchri equi, hanc equitis sub nomine depingens ac denotans. Postremo et Aristoteles ipse de corporis & uultus iudicijs, pectoris habitum coniiciendum existimauit: idem carniū molli tudinem, ingenij neuti quā duri iudicauit signum. Postremo fides his desit autoribus, nisi & historiographorum consensu testatissimum est, Pythagoram, Scipionem Africanū, cūq; his innumerabiles, qui ob diuinas quasdam animi dotes, plus quàm homines crediti sunt, uenusta decētq; forma fuisse. Adeo uidelicet cognatæ res sunt corpus atq; anima, ut alterius habitum altera sequatur, ac mentis quidē bonitas in ipsa cutis specie reluceat, rursum corporis habitus diuinæ (ut ait Flaccus) auræ particulam uicissim afficiat, ut quæ corpori penitus sit immersa, eiq; illigata, uelut ostream circumferat. Nam hæc est una ex pinguibus illis Socratis similitudinibus, in quas iocatur Alcibiades. Sed uereor ne de forma nimis multa.

Quantum

VIRTUTE AMPECT.

Quamquam ego nequaquam aut corporis dotes, aut ingenij felicitatem sic effero, ut uel eos quibus hæc parcius obtigerunt, à uirtutis studio deterream, uel puero tibi pueriliter blandiar, quinimmo utrosq; non ad Narcissi forniculum, sed ad Socratis speculum adduco, ut & illi hoc acrius excolendo animo studeant, quo minus naturæ dotibus adiuuantur, tuq; cogites quam indignum flagitiū, quamq; absurdum futurum sit, si in tam uenusto corpore mentem inuenustam atque incultam esse patiari, ac sub cute nitida, carie situq; squalcat animus. Tum si commiseris, ut cum tibi natura uilissimam tui partem exposuerit, tu immortalē tui portionem negligas honestis studijs excolere. Deniq; nihil isto mōstro putā esse monstruosius, quā in delicato scriniolo ἀνδραγῆς (ut Græci dicunt) ἀνδραγῆς, & si magis Cynice dicendum, in gemmata pyxidula cœnum, aut si quid cœno spurcius. Proinde mi Adolphe, ne laudari quidem te puta, ubi quispiam formosum te, aut generosum, aut bene ingeniātum prædicat. Verissimæ enim & mordicus tenēda Epicteti sententia (si tamen senem tam Stoicū aulicæ ferrent auriculæ) prorsus extra nos esse, nihilq; quicquam ad nos pertinere quæcunque à fortuna uel dari possunt, uel eripi. Nondum igitur Adolphum ipsum laudauimus, dei modo gratuitam in te benignitatem retulimus, impitandam nisi ad scœnus accommodaris. Porro reliquæ uirtutes, quæ proprie ad hominis laudem pertinet, ne possint quidē adhuc in ætate tā tenella citra Gnathonisimū laudari. Tamen si tempestiuum earum prouentum à tuo expectamus autumno, neq; salles, opinor expectātes, quandoquidem

ERASMI ORATIO DE

doquidem isto tam florulento uere nos in spem amplissi-
mam erigis: iamiam enim ceu grauida turgent in palmi-
te gemmæ. Iam nunc admodum adhuc puer, quasi gemi-
ni decoris specimen edis, puta, tum animi paterni belli-
pacisq; artibus iuxta præstantis, tum materni ingenij,
in cuius se mores nihil habere iuris ipsa quoque fortuna
miratur. Et illum quidem militiæ decora, atque ardens
euexit ad æthera uirtus: hæc autem rarissimo prorsus
exemplo cum foemineo sexu masculū animi robur, cum
summis uitæ delicijs (quas illius fortuna non animus po-
stulat) continentiam incredibilem: cum eximia nobilitate
superbissimisq; stemmatis modestiam et comitatem
propè plusquam plebeiam: denique (ut semel comple-
ctar) cum aula Christum copulauit. Vtrumque igitur pa-
rentem Adolphe, alterum inuietissimum, alteram inte-
gerrimam modestissimamq; iam spe quadam ita refers,
ut simul et Mauortijs studijs capiaris, neque à Musa-
rum literario ocio abhorreas, possisq; ad utrumque iux-
ta natus ac sculptus uideri, καὶ τοῦ βίου πρακτι-
κῶν, quem præfert Dicearchus, καὶ τοῦ θεωρητικῶν,
qui Theophrastum magis delectat. Et hunc quidem tum
priorem, tum feliciorē in politia sua putat Plato, ad il-
lum tamen uel ui retrahendum sapientem, publicæ utili-
tis nomine. Sed priuato sibiq; uiuenti liberū esto, utrum
malit sequi. Principi certe, qui patriæ non sibi nascitur,
neutrum oportet deesse, et utrumque Homerus Vlyssi,
Vergilius Aenææ tribuit: alterum dum eos diuturnis er-
roribus uarijsq; casibus exercent, dum medijs bellorum
miscet tumultibus, alterum dum ad inferos deducunt.

Eodem

VIRTUTE AMPLECT.

Eodem arbitror pertinere, quod Plato in ijs quos obeunda Reipublicæ destinavit, moderatum quendam & medium mentis habitum requirit, qui neque ad ferocitatem usque concitatus sit, neque ad ignaviam abiectus. Eam uero è duabus inter se pugnantibus rebus, musica gymnasticâq; conflari censet oportere. Hunc nimirum in te mihi uideor conspicerè, cum mediam quandam indolem intueor, è paterna auitâq; animi sublimitate, atq; è matris pietate mansuetudineq; temperatam. Etenim quod iam nunc manusculis istis Pegasi ferocientis habenas, nō minus scite quā animose moderaris, & immanis belua, cuius corpusculi sarcinulam uix sentit, eius tamen & arte, & animo concitatur, sistitur, in gyrum circumagitur, ad saltum extimulatur, ad gradarium incensum stringitur, ad succussarium tripudium admittitur, quod nunc æquore campi præcipiti uolare cursu, nunc ardua scandere, nunc per præcipitia decurrere cogitur, ac puerilis sinistellæ nutibus omnibus paret, quod in tenera ista fronte subluceat nescio quid augustum atque heroicæ maiestatis, quod uix dum puer, nihil tamen habes puerile, quod iam arcu, quod cursu, quod palæstra nulli cedis æqualium, paternæ auitæq; uirtutis simulachrum agnosco. Rursum ubi te tanquam alijs oculis contemplor, εἰς πρόδρας ἐκ λεφάλης, atque animaduerto, quā nihil quidem in te non futuro princeps dignum, id est, nihil humile, nihil stupidum, nihil ingenerosum, at è regione nihil feroculum, nihil arrogans, nihil minax, nihil insolens, sed oculi non licentes quidem illi, at neque rursum truces, uerum amici:

ERASMI ORATIO DE

frons neq; dura, neq; improba, sed alacris & uiuida, uultus comis, & gratiarum plenus, os uerecundum, male decētissimo pudore semperq; parato purpurisso tincta, sermo modestus & rarus, gestus compositi. Tum quāpius in parentem, in auum reuerens, erga præceptorem obseruans, quā inter æquales obsequens, quā non inperiosus aut morosus in ministros, quā in neminē pro cax. In summa, cum considero nihil in te deprehendi, quod aule, quod fortunæ tuæ mores sapiat, matris optima imaginem (ut Plautine dicam) ipsissimam uideor intueri. Et sunt ista quidem ad præsentem ætatis tuæ laudem magna, ad expectationem uero & quasi prædictionem futurorū, maxima. Illud autem spem de te nostram uel maxime confirmat, quod præter istam naturæ bonitatem, domi contigit habere utriusq; uirtutis magistros egregios, bellicæ quidem auum tuum, in quo uiro nihil eorum desideres, quæ solent à fortissimo duce requiri: philosophiæ uero, ac ueluti musices illius Platonici Iacobum Battum, deum immortalem quā rara doctrina, quā eximia uitæ totius innocentia, quā singulari facundia uirum? Quid iam sit, quod suis de te uotis patria non audeat promittere, posteaquam tam felici indoli formator tam egregius contigit? Contigit autem non tam exoleto, parumq; per ætatem tractabili, id quod plerisque solet accidere, sed quemadmodum Phoenix ille Homericus Achilli puello adhuc, peneq; infantulo datus est, Διδοασκὲς μὲν αἰ τολοῖ πάντα μύθων ἔκτῃ, ἔμμεναι πρᾶκτῆρα τε ὄρων, itidem tuam infantiam uixdum à lacte depulsam, statim Battus excepit, nutricandi

VIRTUTE AMPECT.

tricandi munus cum nutricibus ex æquo partitus, ut illæ
 corpusculum tuum curarent, hic animum fingeret: uide
 licet hoc iam tum agente matre, ut ipso prope cum la-
 cte auriculis tenellis præclara illa sapientum dogmata
 instillaret, mentisq; tuæ recentem testulam, cuius odo-
 rem & in omnem usque uitam esset redditura, philoso-
 phiæ balsamo imbueret, neq; lingulam istam sineret uul-
 gari sribiligine pollui, sed purissimo Musarum irriga-
 ret succo, ac pectusculum istud rude adhuc, & in quem-
 uis habitum sequax præceptis formaret amicis. Nam ad
 uirtutis institutionem, ut aliqua sera sit ætas, nulla certe
 nō matura est. Hæc alius aut præteriret, aut summis uix
 digitis attingenda putaret, Ego uel sola commemoranda
 duco: ut in quibus ueræ felicitatis puppis & prora, quod
 aiunt, sit homini. Siquidem natalium splendore, reli-
 quisq; fortunæ muneribus, non pauci te mortales uel æ-
 quant, uel superant. Hæc tua propria pene felicitas est,
 & haud scio an cum ullo nostratium principum commu-
 nis, quod rudis adhuc in eum incidiisti uirum, qui mentis
 tuæ uacuum tabellam castis ac salutaribus occupare pos-
 sit opinionibus. possit autem, quia doctissimus: uelit, quia
 optimus: efficiat, quia diligentissimus: quiq; te uelut præ-
 sens Mercurius, moly quod. ~~an~~ efficacissimo, id est opti-
 mis rationibus, contra aulicorum illecebras, & uoces
 quorundam moribus pestilentiores, tanquam cōtra Cir-
 ces pocula præmuniat. Rara profecto nostris in terris
 uis homo non triualiter eruditus: rarior autem, qui mo-
 ribus sit usquequaque sanctis & inculpatis: rarissima
 porrò ac plane phœnicis instar, qui cum exquisita do-

ERASMI ORATIO DE

Strina summam morum innocentiam copularit. Quibus omnibus sic absolutus tibi contigit, ut nō uerear assequerare, neq; Achilli Phœnicem, neque Dionysio Platonem, neque Alcibiadi Socratem, neque Alexandro Aristotelem, neque Neroni Senecam pari felicitate contigisse. Quamquam isto nomine non tam fortunæ, quam parentibus debere te puto, quorum prudenti delectu talis ascitus est. Alioqui uel una hæc felicitas optanda magnatibus, qua sola fere carent. Quid autem retulit benenatum fuisse, nisi & bene instituaris? Princeps autem non temere instituitur ad uirtutem, nisi tum cœperis, cum se nondum esse principem intelligit. Quod recte reputans Philippus ille Macedonum tyrannus, uir multis modis laudatus, sibi magnopere gratulabatur, egregieq; uidebatur fortunatus, quod id temporis filium suscepisset, quo uir summus Aristoteles philosophiam doceret, unus ex omnibus dignus, cui tantum alumnus in gremium traderet. Ego uero fortunatissime Adolphe, tibi non impendio gratuler? qui quidem domi assidue uideas, audias, totumq; ac proprium possideas eiusmodi moderatorem, in quo non uel mores eruditione, uel eruditionem moribus, uel uitia quædam uirtutibus compenses, sed quem citra delectum ullum, totum ac tuto possis effingere. Cuius doctrinam si quis contempletur, quid rariius? si uitam, quid incorruptius? si facundiam, quid admirabilius? si festiuitatem, quid amabilius? Legis identidem in poetarum literis Adolphe, Phœbum aurata citrara insignem, Legis Orphea fidibus canoris & feras & quercus, & saxa denique mouentem. Legis Miner-

uam

VIRTUTE AMPECT.

uam ingeniorum & artium principem. Legis caduceatorem Mercurium efficaci uirga potētem. Legis nouem illas sorores, studiorum atq; elegantioris literaturæ præfides. Tum Charites comitatis atque humanitatis autore, Heliconia tempe, fontem uocalem. Denique legis & Pithonem deam, quam Latini Suadelam nominant. An tu ista deliria & nihili uoces existimas esse? Res sunt in primis egregiæ, quas omnes uno in Batto tibi spectare licet, neq; spectare modo, uerum etiam frui. Etenim quid, queso te, omnino aliud uox illa hominis dulcis ac tinnula, citraq; omnem asperitatem eminens etiam aures feriens, nisi Phœbea quadam cithara, aureis fidibus diuinum quiddam insonans? Quis est autem ingenio usque adeo stupido, fero, saxeoque, quem Battica suauiloquentia, & uel Nestorea illa mellitior, non excitet, non emolliat, non edomet? Age uero, quid illa è pectoris candidissimi uenis tam facile profluens, semper pura, semper perspicua, semper exuberans oratio, nisi Castalij fontis perennis quedam scatebra? Eam dum tu una cum equalium tuorum grege, assidue auribus imbibis, & sermone consuescis exprimere, nonne quasi pota, uocales loquaculosq; facit & alios? Porro autem cum sic eruditione docet audientem, sic acumine cogit, sic uarietate delectat, quis non quasi præsens Mineræ numen agnoscat? Quid autem quoties festiuissimis illis suis ac salustissimis iocis omnium animos mire demulcet atque exhilarat, nonne Veneres omnes, omnes Charites de loquentis ore scatere tibi uidebuntur? Cum inaudita quadam arte, omnium sese moribus attemperat, in quemuis

ERASMI ORATIO DE

*affectum quosunque libuit, rapit, nonne Mercuriale
 quiddam refert? In huius profecto unius labijs Pitho illa
 flexanima seseitare uidetur. Cum eo uiuere ac sermones
 miscere, nihil aliud est, quam in Parnassi nemoribus in=
 ambulare. Denique Musarum chorum non desiderabit,
 quisquis cyclopædiam illam omnium disciplinarum an=
 sulis absolutam in eo perspexerit. Quis non uel homi=
 nem, istiusmodi propter literas, uel literas propter ho=
 minem, mirari, amare, colere incipiat? Erres, mihi cre=
 de, uehementer, atque adeo nimium ingrate facias, nisi
 istam felicitatis tuæ partem uel præcipuo calculo nume=
 raris, quæ regibus etiam opulentissimis non raro non
 contingit. Et ó deum immortalem, quid æque, imò quid
 aliud ad principum felicitatem pertinet, quam ut ipsi de
 suo pectore, non de aliorum sententijs discant sape=
 re, & ea pueri à bonis ac doctis uiris hauriāt, quæ gran=
 des non sint ab assentatoribus audituri. At nondum equi=
 dem statui, tu ne isto tali formatore, an te ille tali alum=
 no fortunatior? Quamquam uterque altero beatissimi
 mihi uidemini, proq; meo in utrumque amore, tum illi
 de te, tum tibi de illo gratulor: tibi quod felicissimo inge=
 nij tui solo tantus cultor contigerit, illi quod aliquando
 nactus est materiam dignam in qua singularis artifex
 neruos intendat suos. Iamq; adeo non uobis tantum, ue=
 rum & literis ipsis publicitus gratulandum censeo, post
 eaquam tandē nō ab Ennijs, Plautis, Cæcilijs, sed & ab
 his cœperunt coli tractariq; à quibus si quid attulerint
 splendoris, cum foenore recipiant. Quæ si in obscurum
 quempiam inciderint, etiam si præclara sint, tamen ne=
 scio*

VIRTUTE AMPECTENDA

scio quomodo autorum humilitate, ceu fumo obscuran-
 tur. In tui uero similibus, etiam mediocres, mirum quān-
 eluceant, dum uicissim & doctrina fortunam, & fortu-
 na doctrinam illustrat. Ipsæ itaq; literæ mihi gaudio ge-
 stire uidetur, uidere iam uideor sorores illas Heliconias
 sibi plaudere, te dulcissimum alumnū certatim sinu ra-
 pere, exosculari, complecti, cum tu fortunatis istis arti-
 culis, calamum per æquor chartaceū ductitas, dum blæ-
 sa ac uix dū firma lingula Græcæ pariter ac latine lin-
 guæ uerba meditaris, dum formosulo isto & generoso
 ore, ac uocula amabili, iam nunc orationem & liberam
 pronuncias, & numerosam modularis. Macte indole
 puer, deum optimum maximūq; precor, ut istam men-
 tem, istos egregios impetus, seruet fortunetq;, uelitq;
 quasi iam herbescentem uirtutem tuam, sui sideris affla-
 tu, ad maturam segetem prouehere, ut idem autor simul
 & ætatis, & honesti propositi, incrementa felicia lar-
 giatur, ne uidelicet quod in alijs ferè conspiciamus, in te
 abominamur, de istis tuarum uirtutum quasi cunabulis,
 uelut Adonidis hortorum delicijs, breuī & inani uolu-
 ptate deliniti uideamur. Caue ne tibi tua felicitas securi-
 tatem adducat. Nam etiam si sic omnibus naturæ fortu-
 næq; dotibus sis locupletatus, ut uel Pandoram ipsam
 præcurras, nihil tamen actum putem, nisi ad eas cōmo-
 ditates par accesserit industria: quæ quidem ut sine illis
 penè manca est, ita illæ hac destitute, prorsus ociosæ
 sunt, si negligas: perniciosæ, si insolescas: mortiferæ, si
 abutaris. Et si quicquid possunt ignes illi cœlestes, cum
 prosperrimi sunt, id omne in te unū cōtulerint, si Rham

ERASMI ORATIO DE

nusia illa uel totum cornu suum in te semel effuderit, maximam bonæ mentis partem ipse tibi præsentes necesse est. Quare fac manibus pedibusq; huc annitare, ut te istis dotibus parem reddas, parem uotis tuorum, parem imaginibus maiorum, parem curis optimi præceptoris. Etenim cum omnia tam benigne suppetant, non poteris tibi non summo cum dedecore deesse. Proinde ut in bene cœptis constanter pergas Adolphe, non desinam Homericum illud tibi ad aures occinere. Cur autem non Græce potius, quandoquidem tu etiam nunc Græce meditaris?

Θεοῦ χάρις μάλα γὰρ σ' ὁράω καλὸν τε μέγα τε
 Ἀλκιμὸς εἰς ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων δύνῃ.
 Et quoniam (ut sæpius diximus) omnia ad perfectam
 laudem adsunt adiumenta, φέρω ἀνεμὸς τε καὶ
 ὕδωρ, facito ut et illud eiusdem poetæ uerum sit, τῷ
 δ' ἀνεμὸς τε κυβερνήτης τ' ἰθαυγῶν. Quod si fe-
 ceris, futurum confido, ut tu generi, patriæ, tuisq; om-
 nibus per literas, et literis inuicem per tuam fortunam,
 ingens sis tum decus, tum præsidium allaturus. Illud ad-
 dam in fine, quod uelim animo tuo quàm penitissime
 insideat, ut persuasissimum tibi habeas, nihil tam gene-
 rosis ac bene natis dignum, quàm pietatem. Non teme-
 re moneo, compertum enim habeo in aulis esse nonnul-

Christi doctores, qui nec sentire uerentur, nec dicere pudent, Christi
 doctrinam nihil quicquam ad proceres attinere, sed sa-
 ad proceres crificis ac monachis esse relinquendam. Ad horum exi-
 pertinet tiales incantationes obturatis auribus, quo te mater,
 quo Battus uocat, sequere. Et ut iam nunc cum literarijs
 rudi-

VIRTUTE AMPLECT.

rudimentis Christum incipias imbibere, mitto tibi pre-
cationes aliquot, quas matris rogatu, Batto hortatore
conscripsi, sed tibi. Eoq; sermonis figuram nonnihil ad
tuos annos attemperauimus. Quibus si diligenter ute-
ris, simul & orationem tuam feceris meliorem, & mi-
litares illas precatiunculas, quibus aulicum genus ple-
rūq; delectatur, non indoctissimas modo, sed & su-
perstitiosissimas contempseris. Vale. E Lute-
tia. Anno à Christo nato millesimo
quadringentesimo duo-
centesimo.